

Ecclesiam Sanctae Anastasiae Romanae, alter ad nostram Dominam Angelorum apud Florentinos.<sup>1)</sup>

6° Cingulum S. Joseph. Ista pretiosa reliquia asservatur cum eximia pietate in Campania Gallica. Fertur eam fuisse e Constantinopoli Joanvillam translata in anno 1254 ab ipso Domino Joanvillae tam noto apud scriptores ut amico et fideli biographo S. Ludovici Noni Regis Franciae.<sup>2)</sup>

## Scholae Benedictinae

sive

### De Scientiis opera Monachorum Ordinis S. Benedicti auctis, excultis, propagatis et conservatis Libri Quatuor

a Domino Odone Cambier Monacho Affligeniensis Monasterii  
Ordinis ejusd. S. Benedicti.

(Conclusio ex fasc. III. 1898, pg. 399—404.)

#### XI. Caput XXV. Quomodo punitae puerorum in Scholis culpa. Declamatio in laudem Virgarum.

A feriis ad ferulas et virgas, quibus puerorum  
coercita insolentia, et aliae quas in Scholis committunt  
culpa detersae, transire libet. Nec incongrue, ut arbitror.

Puerorum  
culpa pu-  
nienda.

Nam feriatis diebus non raro peccant adolescentuli, dum iam liquidis iam constrictis undis corpus immittunt, hortos expilant, aliaque contra leges patrant, pro quibus non alia solutionis ratio quam ut Magistris de corio suo satisfaciant. Id adeo verum et vetus, ut etiam in Scholis S. Galli locum habuerint, quod ex verbis istis Ekkehardi<sup>3)</sup> discimus: Erat dies S. Marco solemnis, et ut solent scholasticuli diebus festis ut cras vapulent, saepe mereri; veniam per precatores vel inducias, ut verius scribam, secunda feria habuerant. At tertia feria exactoribus, quos circatores vocamus, culpas eorum Magistro memorantibus, omnes exuere iubentur, vestem ad verbera, scilicet: ubi et videre est quam antiqui sint scholarum censores, qui vocantur hoc loco exactores.

Assumuntur illi a praeceptoribus, qui quantumvis eruditi sunt ac diligentes, tamen discipulis adesse, eos perpetuo observare nequeunt. Horum munus est, con-

Exactorum  
munus.

<sup>1)</sup> Patrignani S. J.: Praxis devotionis erga S. Joseph. (Liber editus in lingua Gallica.) Lyon, 1709.

<sup>2)</sup> Didron: Annales Archéologique II, p. 113—115.

<sup>3)</sup> Ekkeh. de Cas. c. 6.

discipulos habere in oculis eorumque obscoene, petulanter, aut indecenter dicta, facta, neglectaque notare et Magistro denuntiare: quae res ad disciplinae Scholasticae conservationem facit. Nam pueri aut virtutis amore, aut plagarum formidine ad pietatis bonarumque artium studium et linguae Latinae usum his stimulis excitantur.

Virgae et  
ferulae in-  
solentiam  
coercent.

Ceterum utcumque diversas castigandis puerorum erratis praxes novitii praeceptores excogitarint, tamen a veteribus ad nos ea manavit ut virgis vel ferulis culpa puniantur. Nec lego nostros ab eo more describisse, quum praesertim pueri omni aevo sui similes, magis verberibus quam verbis coercendi sint. Ausonius qui diu iuventutem docuit eiusdem videtur esse opinionis, aut certe rem in medio relinquit ita canens;

Idem vesticipes motu iam puberis aevi,  
Ad mores, artesque bonas, fandique vigorem  
Produxi: quamquam imperium cervice negarent  
Ferre, nec insertis praeberent ora lupatis.  
Ardua temperies, dura experientia rarus  
Eventus, longo rerum spectatus ab usu,  
Ne regat indocilem mitis censura iuventam.

Poenae  
versibus  
redemptae.

Porro qua formula usi praeceptores Benedictini, dum in pueros virgis animadvertere cuperent, quomodo iidem pueri versibus poenas redimerent, curatius ex occasione descripsit Ekkehardus, dum de Salomone Episcopo Constantiensi simulque S. Galli Abbate regulari, haec memorat: Mane post Innocentium diem Constantiam pergere cum disponderet, Fratribus valedictis Scholas praeteriit, (erat autem hic dies Scholarum) ostium quoque ut quomodo se haberent, perspiceret, et aperuit, et intravit. Erat utique ius illorum, sicut adhuc hodie quidem est, quoniam exleges quidam sunt, ut hospites intrantes capiant, captos, utque dum se redimant, teneant. Ille vero uti dominus loci securus in medium illorum progressus cum staret, Episcopum, inquit inter se, non dominum Abbatem capiamus. Ille vero libentissime hoc perpessus, quomodo libet se tractare vellent consensit. Capientes vero illum in Magistri posuerunt, vellet, nollet solium. Si in Magistri, inquit, solio sedeo, iure eius uti habeo, omnes exuimini. Haec formula damnandi pueros ad naticidium. Sed attende, quid parvuli de more fecerint, et contra orsi fuerint, ut scamnum declinarent. At illi, inquit historiographus, incuntanter id agentes liceret sibi tandem, rogant ab ipso se, sicut a Magistro soliti sunt, redimere. Cum ille subiunxisset, quomodo? Parvuli latine pro nosse, medii rythmice, ceteri vero metrice,

quasi pro rostris rhetorice etiam affantur. Quorum duorum, quoniam a Patribus recepimus, unus inquit:

Quid tibi fecimus tale, ut nobis facias male?  
Appellamus regem, quia nostram fecimus legem.

At alter versificator inquit:

Non nobis pia spes fuerat, cum sis novus hospes,  
Ut vetus in peius transvertere tute velis ius.

At ille cum studiis loco S. Galli semper inolitus iocundaretur suis temporibus adhuc solide stantibus, omnes, ita ut erant in lineis, exurgens amplexatus et osculatus, Induite, inquit enim vero si vixero, ait, me redimam, et talem indolem remunerabo. Sic ibi.

Ceterum quia nonnullorum didascalorum conniventia an socordia dicam, adeoque plerisque in Scholis Virgae viluerunt, ut quosdam quasi pudeat sceptrum regni sui manibus vibrare, pueros vero vel solum earum nomen percellat: bonum factum, si quis in pristinum solium silvae dominam reponat, ac una adolescentulorum delira somnia conficiat.

Immerito  
virgae vilu-  
erunt.

Ad lectorem. Quae in MS. sequitur: „Declamatio. In laudem virgarum est ad Betullum Caesium et Virginium Vibicianum, studiosae juventutis in Cluniacensi Gymnasio Tribunos vapulares Sociosque conscriptos“ omittendam putavimus, hinc Dixi. Finis.

## Das Wilheringer Formelbuch » De kartis visitacionum.«

Herausgegeben von Dr. Otto Grillnberger, Ord. Cist. in Wilhering.  
(Fortsetzung zu Heft III. 1898, S. 418—425.)

B.

1.

1350(?). . . (Engelszell.) — *Abt Wernhard von Wilhering urkundet über die von ihm vorgenommene Visitation des Stiftes Engelszell.*

[F. 9]

### Karta visitacionis prima.

Nos frater *Wernhardus* dictus abbas in *Wilhering* anno domini MCCCL tali die vel in dominica tali post festum corporis Christi, sancte trinitatis abbaciam *Cellam Angelorum*<sup>1)</sup> filiam nostram visitantes subscripta volumus ibidem ab omnibus observari.

<sup>1)</sup> Engelszell in Oberösterreich.